



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Evsebivs || De Euangelica pr[a]eparatione

Eusebius <Caesariensis>

[Augsburg], 1522

VD16 E 4299

Liber Vndecimvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34477

EVSEBII PAMPHILI LIBER VNDECIMVS



Vare Cum nonnulla ita dixisse Platonem ostendimus, ut apud Hebraeorum scriptores inuenit collatione temporum, certior eris, non Hebraeos a Graecis, sed graecos ab Hebraeis accepisse. Quod aliud principium facientes, iam aggrediemur, ostendemusque sapientes Graecorum iudaicam fuisse imitatos doctrinam, ut nullus nos accusare iure possit, si quos ipsi non recte intelligentes imitati sunt, eos nos Saluatoris nostri doctrina & gratia rectius iam intelligentes, & admiramur & sequimur. Hoc enim factum, nihil magnum a Graecis compertum propter eloquentiam comprobabitur. Omnia uero a Iudaeis atque Barbaris furatos commodius dixisse nullus admirabit, qui & eloquentes & fures fuisse non ignoret. Quod in superioribus non auctoritate nostra, sed suo ipsorum testimonio confirmauimus. Non autem in omnibus, sed in principalibus, neque omnes (longum enim id esset) sed principem omnium Platonem id fecisse confirmabimus, facile namque unusquisque postea per seipsum considerare poterit, si a Platone ceterisque fere omnes Graecorum philosophi acciperent, & Plato ab Hebraeis fundameta omnis bonae philosophiae, a Iudaeis Graecos accepisse. Verum, quoniam apud ipsum nonnulla obscuriora sunt, expositorum eius testimonia etiam non recusabo. Illud uero ante omnia dictum sit, nonnulla Platonem non conuertisse, sed peruertisse, quod non accusandi illius, sed excusationis nostrae causa dicimus, ut non iniuria ceteris contemptis, iudaicam amplecti scripturam uideamur.

De Tripartita philosophiae diuisione secundum Platonem.

CAPVT I.

Omni philosophiam Plato in tres partes, Physicam, Ethicam, Logicam partitus est. Physicam deinde in sensibilem doctrinam, & incorporalium speculationem suppartitur, quam diuisionem etiam apud Iudaeos multo ante Platonem factam esse inuenies. Sed primo quae Platoni placuerunt ab Attico preclaro Platónico summam ex eo libro, quem aduersus eos conscripsit, qui Aristotelicam habentes scientiam, Platoniam profiteri non audent. Cum igitur tripartito inquit uera perfectaque philosophia di-

A uida

uidatur, in moralem scilicet, & naturalem, & logicā, cumq; prima pars & singulos hominum probos cōstituat, & domos integras ad rectā gubernationē reducat, ac populos deniq; diuersis regēdi modis cōstruat, secunda ad diuinarum rerum cognitionem perducatur. ipsarum dico, quæ primæ sunt causarum altissimarū, & aliorum omnium, quæ inde duce natura emanant, cumq; ad harum duarum partium inuentionem atq; cognitionem tertia pars accedat, manifestum omnibus est, Platonē primum maxime omnes has philosophiæ partis usq; ad ætatem suam, sicut membra Penthei dissectas atq; confusas in unum corpus atq; animal integrum reduxisse. Thales enim, Anaximenes, atq; Anaxagoras de naturalibus solum rebus considerarunt, Pitacus vero, Periander, Solon, Lycurgus, ceterisque istis similes de gubernandis hominum coetibus solummodo conscripserunt, Zeno autem & omnes eleatica disciplina logicæ solummodo studuerunt, Plato deinde post hos omnes natus, uir natura præstans, & uere diuinitus missus, nullam partē philosophiæ imperfectam reliquit, sed omnes diligēter complexus nec in necessarijs defuit, nec ad inutilia delapsus est. Verum, quoniam singulas philosophiæ has partes, Physicā scilicet, Ethicam, atq; Logicam Platonem diximus perfecisse, age nunc ita esse, ut diximus, comprobemus. Hæc Atticus, quibus attestatur Aristoteles peripateticus in septimo eorum librorum, quos de Philosophiā adidit his uerbis. Plato proprie atq; perfecte præ cæteris omnibus philosophatus est, nam Thalem secuti naturales solummodo fuerunt. Pythagorici uero cuncta celabāt, Xenophanes quicq; ab eo profecti sunt ita contentiosas mouerūt rationes, ut confusionem potius q̄ auxiliū philosophantibus attulerint, Socrates, ut & Plato scripsit, & prouerbio dicit, ignem igni addebat. Cum enim natura ingeniosissimus esset, & de omni re dubitare peritus, morales & ciuiles cōsideratiōes induxit, & de idæis primum dicere aggressus est. Omnes autē alij partes philosophiæ tractarunt, quidam medicinam, nonnulli mathematicas disciplinas, alij musicam & poeticam, complures autē orationis uim admirati sunt, quorum alij se rhetores, alij dialecticos profitebantur. Socratis uero successores uarij atq; contrarij sibiipsis fuerunt: alij enim humilitatē & turbationū sedationē laudabant, alij uoluptatem secuti sunt, ac nonnulli

nullo quidem omnium scientiam sibi arrogabant, nonnulli nihil se scire profitebant, & alij uel cum infimis conuersabant, alij econtra diffidiles & soli secum uiuebant, Plato autem primus & recte intellexit, atque diuisit, dixitque primū esse de natura uniuersi negocium, alterum de hominibus, tertium de oratione, putauitque non posse nos res humanas perspicere, nisi prius diuinas intellexerimus. Nam quemadmodum medici cum membra quaedam corporis curare uelint, ad totū prius se corpus conuertunt, sic quis uelit res humanas perspicere, naturā uniuersorum prius considerare debet: (pars enim uniuersi homo est) Bonū etiam duplex esse dicebat, alterum nostri, alterum uniuersi. Principalius autem esse bonū uniuersi, ab illo enim hoc profluere, quā rationē Aristoxenes musicus ab Indis emanasse contendit. Indum enim quēdam ait Athenas petiisse, Socraticum colloquentē ab eo quāsi uisum, quomodo & quā faciēdo philosophus esset. Cumque Socrates respondisset, Si quomodo uiuendum sit homini consideres, Risiſſe Indum atque dixisse, neminē posse recte humanas res intelligere, qui diuinas ignoret. Vniuersam igitur philosophiam Plato in Physicam, ciuilem, & logicam partitus est. Hęc Aristoteles.

De morali Hebræorum philosophia. CAP. II.

HAnc tripartitam partitionē si diligenter attenderis, multo ante Platonem Hebræos perspexisse non ignorabis. In primis enim moralem partē summo studio recte magis quam uerbis amplexus fuisse Iudeos constat. Finem enim bonorum beatamque terminum uitæ pietatē erga deū arbitrant, quē quidem finem preceptis dei conseruandis, non uoluptate corporum secundū Epicurum consequi putabāt, neque tripartita secundū Aristotelē bona, corporis scilicet, animæ, & exteriora æquali lance pēſabant; nec ignorantiam omnium rerum, quā nonnulli honestiore uocabulo retinentiam appellarunt, multi fecerūt, nec denique in ipsam animi uirtutē finē posuerūt. Quid enim ipsa sine diuina gratia & absque pietate ad getam uitam conferre potest, propter quā a spe, quā in deo habebāt, quasi a fine dependentes deo gratos solummodo beatos opinati sunt. Quia profecto cum omnium bonorum largitor deus, uitæ fons, & uirtutis origo sit, solus ad beatam uitam eis sufficit, qui uera pietate ad ipsum tendunt. Vnde sapientissimus ille Moses, qui primus omnium hominum

A ij uetustis/

uetustissimorum uitas Hebraeorum conscripsit, ciuilem atque actiuum uiuendi modum narratione historica docuit. Quam quidem doctrinam ab uniuersalioribus ita instituit, ut deum causam auctoremque omnium, quasi fundamentum iniecerit, & mundi atque hominis ortum praeculis posuerit. Deinde ab uniuersalioribus ad particularia descendens, priscoque uirorum uita ad imitationem uirtutis ac pietatis eorum lectorem hortatur. Praeterea cum legum etiam auctor summa cum pietate fuerit, certe patet quod magnum studium ad corrigendum hominum mores habuerit. Longum esset si prophetarum quoque, qui post Moysen fuerunt, uel exhortationes ad uirtutem, uel dehortationes a uitijs recensere uellemus. Quid autem si sapientissimi Salomonis Ethicam uellem modo doctrinam traducere? Nam inter alia librum quoque adidit, quem parabolarum seu prouerbiorum propter sententiarum breuitatem appellauit. Sed moralem quidem disciplinam, uel antequam prima elementa literarum graeci cognoscerent, sic absolute perfecteque re potius quam uerbis iudaei retinebant.

De rationali iudaeorum philosophia. CAPVT. III.

Rationale uero partem non ut Graeci cauillationibus & ficta oratione discebant, sed ipsius ueritatis recte perceptione, quam quidem ueritatem diuinitus illuminati adinuerunt. Hac rationali doctrina ab ineunte aetate sacrarum rerum & utilissimarum narratione historiarum, cantuum odorumque inertia, compositione enigmatum quoque & speculationis allegoricae diserta elegantique oratione suos erudiebant. Erant enim legum sacrarum ac enigmatum apud eos expositores, quos secundarios solebant nuncupare. Unde sapiens quoque Salomon in parabolarum initio, quasi causam libri hanc esse dixit. Ut scirent sapientiam & disciplinam, intelligerentque uerba prudentiae, ac susciperent eruditionem doctrinae iustitiam, & iudicium, & aequitatem, ut detur paruulis astutia, & adolescentibus intellectus. Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Animaduertet parabolam & obscura uerba, dicta sapientiae, tum etiam enigmata eorum. Ita negotium logicae accommodatissime ad sapientiam linguamque suam in omnibus prophetarum libris, si libros diligenter legeris, profecto inuenies. Quod si quis linguae suae peritiam habebit, eloquentissimos certe mul-

eos eorum oratores fuisse putabit. Sunt enim etiam apud eos artifi-
 ciosissima carmina, ut Mosi cantus ille magnus, & centesimus deci-
 mus octauus psalmus David heroico metro, quod exametrum dicitur,
 componunt. Sunt alia quoque trimetra & tetrametra, sed quae ad di-
 ctionem pertinent elegantissime grauissimeque iocundissimeque com-
 posita sunt. Quae uero ad sensum nulli hominum scriptura comparan-
 da. Dei enim ipsiusque ueritatis uerba per eos prolata sunt, quibus pia
 doctrina, rerum cognitio, & salutaria dogmata continentur. Argu-
 mentum autem exquisitum illorum doctrinae ab impositione nominum
 capi potest, cuius rei Plato Hebraeis testimonium praebuit. Nam cum
 Moses primus multo antequam philosophiae nomen Graeci cognosce-
 rent, innumerabilia de impositione nominum dixerit, unde aut na-
 tura duce, aut dei iudicio nomina esse imposita ostendit. Plato quoque
 non impositionem nuda, sed natura duce commode rebus imposita esse
 nomina docet, idque Barbarorum autoritate confirmasse uidetur. He-
 braeos meo quidem iudicio significas. Non enim apud alios facile ta-
 lent observationem inueneris. Sic igitur in Cratillo scribit. Non est il-
 lud nomen, quod aliqui (quoniae ita uelint) rei cuiuspiam indiderint.
 Sed rerum quaedam conditio natura duce apud Graecos & barba-
 ros nominibus promittitur. Et progressus aliquantulum, ergo ita di-
 gnum est inquit legis quoque latoris rationalis partis ac nominum im-
 positionis scientiam habere. Lignarij certe fabri officium est, clauum
 commode, ut gubernator iubet, fabricari: aliter enim clauus inutilis erit.
 Legislator autem nomen ita est inquam. Non ergo uile quidem est o Her-
 mogenes recta nominis impositio, sed doctissimorum atque praestantissi-
 morum uirorum. Tum Cratillus recte ais inquit duce natura nomina
 rebus accommodata putans, nec quous hoc facere posse, sed illum so-
 lummodo, qui ad naturam rei respiciens potest ad eam non est accom-
 dare. Et post multo. Intelligo inquit plurima Graecos a barbaris sum-
 plisse, quae si quis quasi graeca lingua essent deducta interpretari uelit,
 nunquam rebus poterit adaptare. Haec Plato.

N De commodissima nominum apud Hebraeos impositione.
 CAPVT III.

Vnc autem considera, quomodo quae ipse uerbo do-
 cuit, multo ante Moses ueluti sapientissimus ac eloquen-

A iij tissimus

tissimus re ipsa prestitit. Et formauit inquit deus de humo oēs feras agri, & omnia uolatilia cœli, & adduxit ipsa ad Adam ut uideret quod uocaret ea. Omne enim quod uocauit Adā animæ uiuētis, ipsum est nomē eius. Cum enim dicat, ipm est nomē eius, nihil aliud certe uult dicere, nisi cōuenienter ad naturā rei nomen inditum fuisse. Quod enim uocatū est inqt, hoc est in ipsa natura. Nam & nomē ipm Adam terrigenā, aut terrenū potest significare. Adam enim apud Hebręos humus dicitur, quāuis per translationē rubeam corporeāq; naturam significet, ita terrigenā atq; terrenū, aut corporalē hominē hac appellatione signauit. Sed hominē Enos quoq; appellant, quo uocabulo non terrenā, sed rationalē naturā significant. Proprie autē si uerbū de uerbo latine exprimas, obliuiscētē Enos denotare uidet. qualis certe natura rationalis corpori alligata efficit. Quod enim uere incorporeum, diuinum, rationaleq; est, nō solum transacta recordat, sed futurorū propter sublimitatē speculationis habet cognitionē. Quod autem carni coniunctum est, quodq; magno corporis pondere premitur, ignorantia obliuioneq; inuolutū recte Iudeorū sermo Enos, id est obliuiscētē appellauit. Ita enim iacet apud quendam prophetam. Quid est Enos, quod memor es eius, aut filius Adam, quod uisitatus eum? quasi dicat, quid est iste homo? iste dicam obliuiscens, quod tu, qui es deus, memor es eius, quāuis obliuiscens sit, aut filius Adā, id est terreni hominis. Ita carnalis homo Adam nomine, rationalis uero Enos appellatione significatur. Sic Hebręorum sermo exquisitissime nomina deducit. Plato autem hominem, hoc est Anthropem græce, a uerbo Anathrin, id est uidere atq; recogitare dici opinatur, ut sit Antropos, qui recogitat quæ uidit. Rursus Hebręi uirum heis uocant, quod quidem uocabulum ab hes, quod ignem significat, deducitur, ut natura uirilis ignea & calida uerbo exprimat. Fœmina uero quoniam a uiro sumpta heffa. Rursus Moses hebraica lingua cœlum firmamentum appellauit, primum enim post incorporalem intellectualemq; substantiam firmum sensibileq; corpus est. Nomen autem dei proprie, ineffabile dicunt esse, nec ipsa mēte hominis comprehensibile. Quod uero nos deum dicimus, heloi uocant, apud eos robur & potentiam significat, ut sit nomen dei, quasi omnipotēs, Plato uero deos, id est græce theos, a thein, quod est curere

rere dici opinatur, stellas enim quæ semper mouentur, deos appella-
 bant, Clarorum quoque hominum appellationes nõ frustra esse po-
 sitas Plato cõtendit, Ita Hectora a Cratim, quod solus Troiam susti-
 nebat, Agamemnona, quia ualde menin, hoc est perseveranter con-
 stantiaq; in rebus permansit, appellatos contendit: Orestem, quia
 montanus atque siluester, immanis enim moribus fuit, cæteraq; si-
 militer accommodare conatur. Nemo autem ita uiolenta mosayca
 dicere audebit, si didicerit, Cain apud Hebræos inuidiam dici (arsit
 enim certe ille inuidia fratris) Abel latine luctum dicere possumus,
 nam quia primus omnium parentibus luctum intulit, hoc nomine
 ab eis diuina quadam prouidẽtia fuit appellatus. Quid de Abraam
 dicam, qui cum cælestium corporum scientia maxime præstaret,
 Abraam, idest latine pater superiorum corporum uocabatur, cum
 deus ab his, quæ uidentur ad inuisibilia protrahens. Non uocabe-
 ris inquit Abram, sed Abraam erit nomen tuum, quia multarum te
 gentium patrem posui. Sed longius modo esset extractaq; propositum
 diligentius hæc percensere. Platonis autem testimonium nõ negli-
 gamus afferentis nonnulla nominum diuina quadam posita uirtu-
 te esse. Magno inquit studio in ponendis nominibus uigilandum
 est, quamuis nonnulla eorum diuiniore quadam, q̃ hominum uir-
 tute indita esse uideantur. Verum quod ipse paucis uerbis dixit, id
 Hebræorum scriptura, ac primus omnium Moses ipsius Abraam,
 Isaac, & Israhel nominibus re ipsa diuinitus factitatum edocuit. Ri-
 sus em̃ Isaac interpretatur, ineffabilis scilicet gaudij, quod p̃rs da-
 turum se deus pollicitus est, symbolum gerēs. Huius quidem filius
 Iacob Israhel a deo appellatus est, ab actiua uita ad contemplatiuam
 uidelicet translatus, Plantator enim Iacob interpretatur, quasi uirtu-
 tis certamina peragens atq; percurrentes. Israhel uero uidens deum di-
 citur, qualis certe contemplatiui hominis mens atq; intellectus est.
 Non est opus longiorem esse omnia percurrentem. Cuncta enim
 apud eos nomina ad unguem rebus accommodata sunt, usq; ad ipa
 prima literarum elemẽta, quorum quidem nomina quid græce ue-
 lint, nec ipse Plato adinuenire unquam poterit, cum Iudæorum eti-
 am pueri, si forte interrogarentur quid alpha, quod ipsi Aleph dieunt
 significat, confestim disciplinam respondebunt. Betha uero, quod
 ipsi

ipsi beth uocant, domum, ut sensus sit domus disciplina, ac si quis diceret disciplina atq; doctrina q̄dam œconomia ac dispensatiōis, In cæteris quoq; omnibus hoc ipsum inuenies, ut in superioribus latius dictum est. Quattuor quoq; uocales ad unum collatae ineffabile atque arcanū dei nomen illis uocabulis contineri uulgo apud eos fertur, quod Græcorum etiam aliquis ab Hebræis scilicet doctus, hic carminibus significauit.

Inuictum magnumq; deum nil molis habentem.

Corpore, cunctorum hominum rerumq; parentem.

Dulcisona extollunt septem me carmina uocum,

Ex septemq; meum constat uocalibus ipsum

Compositum, miro signorum fœdere nomen.

Ast æterna chelys, ego sum, quæ montibus acta

Cœlorum dulci resono modulamine cantus.

Quid plura: ipsum quoq; gentis nomē a nomine heber deductum est, quod transitū & transeuntē lingua eorum significat. Ita ipsa gentis appellatione a terrenis ad cœlestia transire, & a uisibilibus istis ad inuisibilia cognitionēq; creatoris migrare admonent. unde priscos illos, qui creatori deo uera inherebant pietate, hebræos appellarūt.

Quid oportet plura ceterōtē immorari, cum apud eos exquisitissime accommodatissimeq; rebus nomina impolita sint. Qua ex re maxime summam rationalis partis doctrinam habuisse demonstratur, cum etiā secundū Platonem, nō cuiusuis, sed sapientis summeq; dialectici uiri sit, rerū naturæ apte nomen accommodare.

Sequitur nunc, ut quomodo in physicis sentiebāt hebrei, ostēdamus.

De Physica parte secundū Hebræos. CAP. V.

HAcc igitur pars etiam apud deos intellectualisū inde corporaliumq; rerū contemplationem, & sensibilem physiologiā diuisa recte a prophetis nō coniectura, nec mortaliū aliquo, sed sancti spiritus gratia docente habebat.

Mirum enim immodum, cum opus sit nōnulla physica in libris suis scripsisse, ipsos uidemus hinc multa illis futura p̄dicta, multa de uniuersi cōstitutione, multa de animalium natura, multa de plantis naturaliter exp̄ssa. Moses autē in uestiēdo pontifice lapidibus, quorū scilicet uirtutes optime perceperat, non absq; causa uirtur. Salomon etiam

etiam summus physiologus fuisse a scriptura perhiberi. Locutus est enim Salomon inquit tria milia parabolas, fueruntque odæ ipsius quæque milia, locutusque est de lignis a Cedro, quæ est in Libano usque ad Isopum, quæ a muris progreditur, & locutus est de pecoribus & uolatilibus cæli, & serpentibus, & piscibus; & confluebant uniuersi audire sapientiam Salomonis. Hac ratione commotus, qui librum sapientiæ personæ suæ inscripsit. Ipse enim mihi dedit hæc, quæ sunt scientiam, ait ueram ut scientia, dispositionem orbis terrarum, uirtutem elementorum, initium, finem, & medietatem temporum, ipsorum temporum permutationes atque uicissitudines, stellarum cursus, anni uolutiones, naturas animalium, & iras bestiarum, uim uentorum, & cogitationes hominum, differentias plantarum, & uirtutes radicum, & quæcunque sunt abscondita & inuisibilia cognouit. Omnium enim artifex sapientia docuit me. Idem rursus fluentem corporum substantiam ostendens in Ecclesiaste ait. Vanitas uanitatum, & omnia uanitas, Quid habet amplius homo de uniuerso labore suo, quod laborat sub Sole? Et subiicit. Quid est quod fuit, ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est, ipsum quod faciendum est. Nihil nouum sub Sole, ceteros quoque si diligenter percures, non expertes naturalis doctrine comperies, nec de plantis omniumque animantium naturæ solummodo, uerum etiam de coelo, ac stellis magnam peritiam habuerunt. Non enim paruam in libris eorum inuentionem de Ursa & Pleiade, de Orione atque Arcturo, quem Greci Booten appellant fieri, uideamus. Ad hæc de origine mundi, de omni mutatione/alterationeque rerum, de animæ substantia, de rationalium omnium natura, de uisibili atque inuisibili creatura, de uniuersali providentiâ, ac precipue prima rerum omnium causa, de cæterisque omnibus, quæ sola mentis inspectione comprehenduntur, ita tractarunt, ut si greci uoluissent, ac potuissent, tanquam iuniores uetustissimam eorum doctrinam in omnibus sequi, nulla profecto in re fundamentis eorum iactis errassent. Sed physiologiam duplicem esse, ut diximus, non ignorantes, eam quidem partem, quæ de sensibilibus est, non omnino offerendam arbitrabantur, præter necessarias quasdam eius partes, ut puta non casu factum esse uniuersum, nec temere circumferri, sed deo auctore uirtuteque illius ineffabili gubernari.

B De

De intellectuali Hebræorum physiologia. CAP. VI.

DE intellectualibus autē quia sunt, & quæ sunt, quo ordine, qua uirtute, quo discrimine disseparentur, quantum scire oporteat ad bene uiuendum, pieq; sentiendum per sacratissimam scripturam omnibus, qui audire uolunt traditum est. Profundum autem atq; occultum rerum istarum sensum in arcanis reliquerunt, ut ij uidelicet quærant, qui hæc perspicere atq; discere digni sunt. Plato autem in intellectualibus etiam atq; in incorporalibus, siue ab illis didicerit, quando in Aegypto fuit, ubi multi Hebræorum Persis regnantibus iterum a patria expulsi, exulabant, siue a seipso intellexerit, siue a deo talem cognitionem haberit, Mosem hebræorūq; poetæ secutus uidet. Deus enim inq; ipsis manifestauit, cuius inuisibilia creatione mundi creaturis intellecta conspiciunt, æternaq; ipsius uirtus atque diuinitas, ut excusari non possint. Quod ita esse x̄bis ipsius Platonis probat, nam cum ex persona dei Moses scripserit, Ego sum qui sum, sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad uos. Quibus uerbis apte soli deo esse attribuit. Cūq; ut diximus, Salomon futurum esse quod fuit, & faciendum quod factum est, nec nouum aliqd esse sub Sole, unde dupliciter ens partiri uidetur. Nam aliud immortale, incorruptibile, stabileq; natura intellectuale incorporaleq;, aliud in fluxu mutatione semper esse determinat, & ut breuiter colligam, cum ad unum cuncta Iudæi principium referat, unumq; esse absq; ortu, quod x̄e atq; proprie appellant ens, corporalium omnium atque incorporalium causam. Vide quomodo nō solum sensum, uerum etiam uerba ipsa Plato exp̄ssit. Quid est inquit quod semper est ortum non habens? & quid quod semper sit, est autem nunq;? Illud certe mente ac ratione percipitur, eodem semper ens modo, hoc uero irrationali sensu comprehenditur, & ortū occidit, uereq; & stabiliter nunq; ens est, ita quod a Mose breuiter dicit, per cunctationibus latius explicauit. Sibi enim ipsi respondet, dicens mente ac ratione comprehendit. Illud uero Salomonis, quod fuit scilicet, quodq; futurū est per ortum & occasum expresse, quibus subiicit. Hæc enim omnia erat scilicet, ac erit, temporis partes sunt, quæ non recte ad æternam substantiam transferimus, cui est solummodo uere accommodatur. Erat autē & erit, fluen-
tibus

tibus solum uere adaptatur. Nam quod semper eodem se habet modo cum incorruptibile sit atq; immobile: nec senescit tempore, nec fuisse aut fore uere dicitur, nec aliquid eorum, quæ sensibilibus accommodantur, recte illi adaptatur. Species enim istæ sub tempore sunt, quod æternitatem circulari ac ordinato motu imitari uidentur. Verum, ne quis male me forsan Platonis uerba intelligere suspicetur, a p̄claro Pythagoreorum Numenio huius rei probationem assumam, qui sic in secundo uolumine de bono scriptum reliquit. Age igitur inquit quantum possumus proxime ad ipsum ens accedamus, dicamusq; ipsum ens nec unq̄ non fuisse, nec unq̄ non futurum, sed esse in determinato p̄senti tempore solum. Quod quidem p̄sens sic intellectum, æternitatem appellamus. Præteritum enim tempus præterijt iam, & nō est, futurum uero nondum est, sed uenturum uidetur. Quare si præteritum atq; futurum ipsi enti accommodabitur, impossibile quoddam euenit idem esse uidelicet, & nō esse: Transit enim quod fuit, & nondum peruenit, quod futurum est. Ipsum autem ens est, erit ergo & nō erit. Ipsum autem ens uere est, nec localiter unquā mouebitur. nec enim sursum, aut deorsum, nec ante, aut retro, nec ad dextram, aut sinistram, nec circa medium mouebitur. Satis ergo ipsi conuenit, quoniam eodem modo semper se habet. Et post pauca. Dicam, nec me quispiam derideat, incorporeæ rei nomen scire contendentem. Est enim nomē eius essentia & ens, nec enim factum est, neq; corrumpetur, nec motum ullum suscipit. Simplex p̄terea est atque incommutabile in una eademq; simplicissima idæa constitutum, nec uoluntate sua, nec ab alio cogi potest, ut ab identitate sua recedat. Plato quoque in Cratillo ait, similitudine rerum nomina esse imponēda. Sit ergo nomen intellectualis incorporeæ æternæq; substantiæ ipsum ens. Hęc maioris cuiusdam inuēta fuisse puto, potentioris uiri quam Plato fuit, utputa Pythagoræ. Plato quoq; dicit. Quid est quod semper est, & ortum nō habet: & quid quod semper fit, est autē nunquam: Illud certe mente ac ratione percipitur, hoc irrationali sensu & æstimatione comprehenditur, factumq; transit, & uere stabiliterq; nunquam ens est. Percunctatus igitur quid sit ipsum ens, absque origine ipsum esse respondit, mutatur enim quod oritur, quod autem mutatur, æter-

B ij num

num esse non potest. Deinde progressus aliquantulum subiicit. Si ergo ipsum ens aeternum atque immutabile est, nec exit unquam a se ipso, sed eodem modo semper se habet, hoc profecto est, quod mente atque ratione percipitur. Corpus autem fluit, cumque transierit, non est. Quare hoc est, quod sensu atque aestimatione percipitur, utque populo dicit ortum occidit, uereque nunquam ens est. Haec Numenius. Non iniuria ergo dixisse ipsum fertur, quis enim est Plato quam Moses attice loquens.

De Ei uerbo graeco ex Plutarcho. CAP. VII.

TV autem considera, quomodo & Mosaica Theologia, & alij etiam uerbis, quibus deus a scriptura dicere introducitur. Ego sum dominus deus uester, & non sum mutatus. Et propheta illi qui dicit. Tu autem idem ipse es, & animi tui non deficient. Considera igitur, si Plutarchus in libro, in quo sensum Ei uerbi graeci, quod in Delphici templi Prophyleis scriptum erat, quodque aut sis, aut es latine significare potest, his quae diximus conuenienter exponat. His uerbis non numerum, neque ordinem, nec coniunctionem aliquam, nec aliud aliquid imperfectum ea dictione significari existimo, sed perfecta quadam ad salutantem deum nostri responsio uidetur una cum uoce ad diuinae uirtutis memoriam respondentem conuertens. In eodem enim loco scriptum est. Cognosce te ipsum, quod deus ad accidentes salutando conclamat, ac ideo uicissim nos respondentes dicimus ei, quod est es, per quam uocem quasi ueram & soli deo accommodatam salutanti dei respondemus. Nobis enim uere esse accommodari non potest. Natura enim nostra inter ortum & mortem consistens, instabilis quaedam & quasi phantastica est, nam si mentem collegeris, ac ipsam comprehendere omnino uolueris, quemadmodum aqua manibus hausta, quanto magis premitur, tanto citius defluit, sic mutabilia cuncta, quanto magis ratio persequitur, tanto magis amittit. Cum enim omnia sensibilia in fluxu sint, continue fiunt atque corrumpuntur, nec eadem unquam permanere possunt. Fluum autem eundem bis intrare secundum Heraclum impossibile est. Quare nec mortalem substantiam, si iterato consideres, eandem habitu esse diceres, sed mirabili commutationis uelocitate modo dissipatur, modo contrahitur, imo uero non recte dixi modo & modo, cum simul aliud assistat,

affistat, aliud perdat, & aliud habet ab ea. Ita nunquam ad esse peruenire potest: nunquā enim generatio eius stat, sed embryo a spermate, deinde infans, puer, adolescens, uir, senex, decrepitus, ac qui bullibet primis corruptis atatibus, ad nouas ueniens, tādē omnino moritur. Ridiculosi ergo sumus homines unam timentes mortem, qui multotiens iam mortui sumus, & saepius moriemur. Non enim extinctio ignis, aeris solummodo generatio est, ut Heraclitus dicebat. sed apertius hoc ipsum in nobis quoque uideat. Corruptur enim iuuenis in uirum, uir in senem, puer in iuuenem, infans in puerum, & qui heri fuit, in eum qui est hodie, quique hodie est, in crastinum, manet autem nullus idem. Nullus enim est idem, sed in uno momento circa phantasmata unum, & communem materiam influentem ac refluentem omni momento commutatur. Quomodo enim si sumus idem alijs, nunc qui antea gaudemus? Alia modo amamus atque odimus, Alia laudamus atque uituperamus, alijs uerbis utimur, alijs passionibus mouemur, non eandem figuram, non eandem de rebus sententiam habentes. Non enim possibile est sine commutatione alijs nunc quam antea commoueri, nec qui alijs atque alijs mutatur idem profecto est. Quod si idem non est nec est, sed fluit continua mutatione, sensus autem ignorantiae ipsius entis fallitur, & esse putat quod non est, quod igitur uere ens est? quod eternum est, quod ortum non habet, quod incorruptibile, quod nullo tempore mutatur. Mobile namque tempus est, & mobili materia coniunctum, fluit semper, & quasi corruptionis atque generationis uas nihil retinet. Vnde prius atque posterius, & fuit & erit, nihil omnino sunt. Quod pro ex tempore esse uidetur, quod adesse dicimus, & nunc dicimus, hoc ipsum tanquam fulgur uelociter transit. Quare cum tempus mensura sensibilibus sit, cumque ipsum nunquam sit, apte dicemus ipsa sensibilia nunquam permanere, nec entia esse, sed gigni atque corrumpi secundum mensurantis naturam. Erat igitur & erit, ipsi enti accommodari non possunt. Transitum enim haec & mutationem rei significat. Deus autem, si fas est dicere, nec est in tempore aliquo, sed in aeternitate immobili, cuius nihil prius, nihil posterius, nihil futurum, nihil preteritum est: sed cum unus sit ens, in uno nunc illud quod est semper, repleuit. Solum igitur ipse est uere ens, quod nec fuit, nec futurum est, nec incepit, nec cessabit,

B iij & sic

& sic ipsum colere ac salutare oportet, aut certe ita intelligendum est, quemadmodum nonnulli praeceptorum dicebant, et pro eis accipientes, & unum suppletentes, ut sit, tu solus unum es. Non enim multa deus est, ut singuli nostrum ex innumerabilibus fere compositis; sed unum est uere ens. Diuersitas enim cum differentia in ente faciat, in ortum non entis peruenit.

Quod Deus ineffabilis sit CAPVT VIII

Proterea cum Moses omnesque prophetarum ineffabilem rem intellectusque solum percipibilem deum esse doceant. Huiusque rei symbolum scriptum apud eos quattuor uocabulis nomen dei ferat, quod proferre non possunt. Consona his enim Plato in magna epistola dicit, Fabile inquit nullo modo est, sed ex multa inhaesione inhaerentiaque, ut ita dixerim, circa rem ipsam & uita & integritate repente, quasi ab igne accensum lumen animo innascitur, quod seipsum alit. Hoc quidem lucis exemplum multo prius ante Platonem Hebraeorum propheta protulit dicens. Signatum est super nos lumen uultus tui domine, dedisti latitudinem in corde meo. Et rursus. Et in lumine tuo uidebimus lumen.

Quod Deus unus est. CAPVT. IX.

Moses unum esse solummodo deum docuit. Audi enim dicit Israel. Dominus deus tuus unus est. Plato quoque in Timaeo, calum unum, & deum unum esse dicit his uerbis. Vtrum igitur recte unum calum esse dicimus, & deum unum esse dicimus, an multos innumerabilesque dicere rectius erat? Vnum inquit certe siquidem ad exemplar creatum est. Quod enim intellectiua continent animalia, duplicatum esse non potest. Qui & si secundum aliorum consuetudinem plures nonnunquam esse deos dicere uideatur, ab epistola tamen ad Dionysium, ubi deorum nomen eorum epistolarum facere principium dicit, quas negligenter, & ad gratiam aliorum non ex animi sui sententia scripserit, ab unius uero dei nomine illas incipere, quas studio suis addidit, apte patet unum deum putasse. De signo inquit epistolarum, quas cum studio mitto, & quas non recte arbitror te meminisse. Aduertendum autem est tibi diligenter, quia multi a nobis literas petunt, quos repellere non possumus. Cum ergo studio, & ex sententia scribimus animi, deus principium epistolae praebet. Cum autem non, non deus sed dii. In legibus

bus uero a priscis id se didicisse his uerbis ostendit. Deus igitur, ut a priscorum sermone accipimus, cum principium, finem, & medium rerum omnium contineat, recte omnia natura perfectus determinat, cui semper adheret iustitia seuera ultrix eorum, qui diuinam legem cōtemnunt, quā qui ad beatitudinē erigit, humiliter seruat. Si quis autē arrogantia elatus, pecunijs, aut dignitatibus efferat, uel fortuna corporis, & iuuentæ amentia incensus, animū deturpat, & quasi nullo principe ac duce, indigens, ipse alijs posse se p̄esse arbitrat: is derelictus a deo, uniuersa cū sodalibus suis perturbat, & multis magnus quidem uidet, breui autē diuinitus delectus, seipm domū / ꝑ a triamq; suā simul euertit. Hæc Plato. Tu autē quod dixisti, dixit principium, finē, & medium rer; a deo contineri illi prophætico conferras. Ego deus primus, ego etiā post hæc. Qd̄ uero natura perfectus determinat dixerit illis similes rectitudines sciuit facies eius. Qui autem dicit iustitiā deo adherere ultricem eorum, qui diuinam negligūt legē, illi consentaneum. Iustus dominus, & iustitiam dilexit. Et mihi uindictā, & ego ulciscar dicit dominus. Quod humiliter deo adheret, qui ad beatitudinem erigitur, illi compar est. Post dominum deū tuū ambulabis, & deniq; quod a deo derelinquat, q̄ arrogantia effertur, illi omnino quadrat. Deus superbis resistit, humilibus autē gratiam prabet. Et latitia impiorum casus singularis. Sed hæc quidem de uno Deo dicta sufficiant.

De Verbo. CAPVT. X.

NVnc de unigenito filio dei, quē uerbum dominū & deū ex deo Hebræor; scriptura esse denotat, dicendum est. Moses igitur apertissime domini appellationem bis posuit dicēs. Et pluit dominus a domino ignem & sulphur, ubi bis quattuor uocalium ineffabilē cōcursum, quo ineffabile nomen dei significat, cōscripsit. Et Dauid quoq; & propheta & rex Iudeor; in psalmis scripsit. Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis. Quomodo em̄ a dextris domini dominus sedet, nisi duas personas intelligamus? Quā q̄dem rem alibi apertius dicit, Deū omnipotentem & creatorem omnium esse dextris assidentē patris declarans. Verbo inquit domini cæli firmati sunt, Saluatorē quoq; ip̄um omnium, qui eum suscipiunt, his uerbis ostendit. Misit uerbu eius,

B iij & sa/

& sanauit eos. Filius etiā eius Salomon, uocabulo sapientiae pro uocabulo uerbi usus, haec ex persona ipsius sapientiae dicit. Ego sapientia consilium atq; cognitionē fabricata sum. Et post pauca. Dominus possedit me in initio uiarum suarum antequam quicquā faceret a principio. Ab eterno ordinata sum, & ex antiquo antequā terra fieret. Nec dum montes graui mole constiterant, ante colles ego parturiebar. Quando praeparabat celos aderam. Et alibi. Est in illa spiritus intelligentiae, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, mobilis, discretus, incoinquatus, omnē habēs uirtutem, omnia prospiciens, per intellectuales omnes spiritus mundos atq; subtiles ingrediens, omnibus enim mobilibus, mobilior est sapientia, transit autem ingrediturq; per omnia propter munditiam. Vapor enim uirtutis dei, & emanatio gloriae omnipotentis sincera, & ideo nihil inquinatum in illa incidit. Fulgor enim est lucis aeternae, & speculum immaculatum dei maiestatis, & imago bonitatis illius, attingit autē a fine usq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Haec a priscis iudeorum authoribus modo sufficiant. Phylonem etiā audias, quamuis non recte in omnibus; dilucidius tamen haec ita exponentem, ut iure q; credere possit non alium esse scripturae sensum q̄ Ecclesia praedicat. in libro enim quem inscripsit, quod peiora soleant melioribus insultare his uerbis usus est. Decet omnes, qui scientiam querunt, ad dei patrem mentem erigere. Si uero nequeunt ad imaginem, saltem eius scilicet uerbum sacratissimum. Item in eodem. Et si nondum aliquis filius dei appellari dignus est, studeat tamen ad primogenitum eius uerbum Angelis omnibus antiquis, & quasi principem angelorum in ultionē sequi. Origo enim & deus, & uerbum, & imago, ad quā homo creatus est, & Israhel iudeus appellat. Quare paulo ante profusior ad laudes eorum sui dicunt, omnes nos unius hominis filios esse. Nam & si nondum digni sumus existimari dei filij, sumus tamē perpetuae imaginis eius uerbi uidelicet sacratissimi. Dei enim imago est uerbum antiquissimum. Percepimus etiā a quodam Mosis sodalium dictum esse. Ecce homo, cui nomen est oriens, noua inauditaq; appellatio, nec rei cōueniens, si ex anima & corpore hominē dici putabis. Sin uero incorporalem illum, qui diuinam habet formam intelliges, commodissime orientis nec nomine appellatus est.

Hunc

Hunc enim primum filium pater omnium oriri fecit, quē alibi primogenitum nominavit. Filius quoque patris vias imitatus, & ad primitiva illius exemplaria respiciens, species rerum formavit. Nunc Platonem audiamus, qui huiusmodi verbis in Epimenide usus est. Laudem autem non quidem, alij anno, alij mense, alij nullo in tempore, in quo polum suum transcurrit mundum. Vna efficiens, quē verbum illius ordinavit, quod rerum omnium est diviniſſimū. Et in epistola in tres sibi amicissimos, Hermiam dico, Horastum, & Coriscam his verbis cautissime sacratissimum hoc dogma illis commēdavit. Hanc inquit epistolam omnes tres una legetis, uel ad minus duo cōmuniter, toriens quotiens poteritis. Oportet em̄ uos uti hac lege iureiurando confirmata diligentia eleganti, & studio eiusque serore doctrina, ut per deum principem omnium presentium & futurorum, & per patrem & causam principis & dominū iuretis. Quę si recte philosophant, clare quantū homini cōtingere potest cognoscemus. Nonne tibi uideat Plato Hebraeorum scripturis insudasse? Vnde namque ipse quem ab Hebraeis discere posset, patrē & dominū deum appellare, ac deum principis & domini patrē nominare. Aut quis unquam apud Græcos a diuiniſſimo uerbo mundum dixit esse ordinatum? Quod si Platoniorum testimonio philosophi sententiam confirmari cupis, Plotinum audi, quid in eo libro dicat, quem de tribus hypostatibus, a quibus omnia principium habent, inscripsit. Mundum inquit hunc sensibilem, si quis admiratur magnitudinem, pulchritudinem, & perpetui motus ordinem considerans, & deos qui sunt, in eo alios uisibiles, alios inuisibiles, demonas etiam animalia, plantas, ceteraque omnia ad primitiuum exemplar mente ascendat, & ibi cuncta intellectualia contempletur, eorumque omnium aeternam mentem atque sapientiam praesidentem. Et paulo post subiungit dicens. Quis igitur hunc genuit? ille simplex scilicet, qui ante hunc est, qui causa est, ut ille sit, & tantus sit, qui numerum facit. Nō enim numerus primus est, ante dualitatem enim unum est; deinde dualitas est ab uno nata. Et progressus aliquantulum addit. Quomodo igitur, & quid intelligendum est circa illud, quod stabile manet? Splendorem scilicet ex illo, ex illo autem manente: sicut splendentem lucem ex Sole, ita ex eo semper profluentem. Ex ma/

nente autem uniuersa etiam quae sunt, ab ipso inquam manente pro-
 grediuntur, & ab eius uirtute substantia eorum necessario depen-
 det. Imago igitur primitiui est, unde nata est. Sic ignis caliditate sua,
 & nix frigiditatem non in se solummodo continet, sed extra etiam
 produxit, maxime autem quae odorem emittunt, isti rei testantur,
 quae donec sunt, emittunt quidem circa se, quo qui propinqui sunt
 perfruentur, omnia etiam quae perfecta sunt, generant. Quare quod
 semper est, & semper perfectum est, semper generat, & quod ex eo
 generat perpetuum est, quamuis & minora etiam quam ipse sit generat.
 Quid igitur oportet de perfectissimo dicere, aut de maximo post il-
 lud, maximum autem & secundum post illud intellectus est, intelle-
 ctus enim intelligit, & eget illo solummodo, illud autem hoc non eget,
 & quod a summo intellectu natum est, intellectus est. Melior autem
 omnibus intellectus est, quoniam omnia post ipsum. Et post pauca.
 Amat autem omne, quod genuit, & maxime quando sola sunt ge-
 nerans & generatum. Quando autem etiam optimum est, illud quod
 genuit necessario cum illo simul est, ut in eo solummodo, quod alius
 est, separetur. Imaginem enim illius intellectum esse dicimus, & pro-
 gressus subiicit. Idcirco etiam Plato, ternam omnia esse circa regem di-
 cit, primum circa prima, Deinde circa secunda, & tertio esse tertia,
 ipsam quoque causam rerum patrem habere dicit, causam rerum in-
 tellectum appellans. Creatorem enim intellectum esse censet, & ab
 hoc animam esse creatam in illo cratere. Cum igitur causa intellectus
 sit ipsum bonum, quod ultra intellectum, & ultra substantiam est, pa-
 trem eius appellat. Multis autem in locis ipsum ens, & intellectum
 ipsum idem nominat. Cognouit igitur Plato ex ipso bonum intelle-
 ctum esse, ex intellectu uero animam, & sermones hos non esse in-
 anes, nec modo, sed a priscis temporibus non ita explanate dictos, poste-
 riores autem sermones expositionis pacto esse factos. Testibus ue-
 ro, quod haec opinio prisca sit, scriptis ipsius Platonis utemur. Haec
 Plotinus, Numenius etiam in libro de Bono, his uerbis utitur. Qui
 de primo atque secundo deo quicquam intelligere gliscit, singula
 prius ordine distinguere debet, aliter enim sui studij thesaurum ef-
 fundit, quod ne patiamur deo huius orationis duce inuocato, ut co-
 gitationis nostrae thesaurum cliceat incipiemus. Orandum au-
 tem

temprius est, deinde distinguendum. Deus primus quidem, cum in semetipso sit, indiuisibilis ac simplex est. Deus autem secundus & tertius unus est, & materiae, quae dualitas est inhærens unit eam, quamuis disseparetur ab ipsa, quae tota cupit & fluit. Et post pauca/Nec enim oportet inquit deum primum creare, sed creantis dei patrem esse. Et progressus aliquantulum, Primū inquit deū regē omnium ab omni opere cessare oportet. Creatorem uero deum omnia gubernare dicimus, a quo interiora mens mittitur ad omnia, quae ad communicationem illius ordinata sunt. Cum igitur ad nos conuersus deus respiciat, nos tum ipsius radijs sit, ut uiuamus, corpora quoque alantur ac uiuant. Cum uero in altitudinem suam deus seipsum conuertat, tunc corpora quidem extinguuntur, mens uero uiuit uita beatiore. Ista illis psalmistae similia sunt. Quam magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua. Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illi colligent, aperiente te manum tuam omnia implebunt bonitate. Auertente autem te faciem turbabuntur, auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emitte spiritum tuum & creabunt, & renouabis faciem terrae. Quid enim haec ab illis differunt, cum philosophus asserat. Respiciēte deo uiuunt ipsius radijs animalia, conuerso autem in suam altitudinem extinguunt. Cum rursus salutaris doctrina Saluator noster praedicet. Ego sum uitis & pater meus agricola est, uos palmites. Audi quomodo Numenius consentanea istis scripsit. Quemadmodum inquit agricolae ratio quaedam est ad plantas relata, hoc modo se habet primus deus ad creatorem. Primus enim cum semen omnis uitae sit res omnes seminat. Creator uero plantat & distribuit; transfertque ad singulos nos, quae inde iacta sunt. Et aliquantulum progressus, ut ostendat quomodo secundus deus a primo est. Res quidem humanae inquit ab eo qui dat, ad accipientem transeunt, diuinae uero a deo dantur, & ab eo non absunt, quale quid scientia est, quam qui accipit, melior factus est, qui autem dedit, nihil amisit. Lucerna etiam ab alia lucerna sic accenditur, ut prima non extinguat, Materia enim alterius ab igne alterius accenditur, Sic & scientia non recedit a dante, & tamen in accipientē transiuit, cuius causa hu
mana

mana non est. Substantia uero quæ scientiam habet, idem est apud deum datem & apud accipientē. Idcirco Plato quoq; a Prometheo in homines magno quodam splendore ignis sapientiam uenisse affirmat. Et post pauca. Alia inquit primi dei uita est, alia secundi, primus enim stat, secundus autem mouetur, & primus in intellectualibus, secundus in intellectualibus & sensibilibus. Nec mireris de his uerbis: mirabilius enim illud est, quod modo dicam. Nam statum etiam primi motus assero esse innatum, a quo uniuersi ordo, statusq; sempiternus & salus in res omnes transfunditur. Idem in sexto. Nam quoniam non ignorabat Plato, creatorem ab hominibus solum cognosci, primum autē intellectum, quem ens ipsum appellat, omnibus esse ignotum, idcirco his utitur uerbis, quasi magna uoce clamet. Quem putatis intellectum o homines, non est primus, sed alius ante ipsum est maior atque diuinius. Et aliquantulum progressus. Gubernator inquit cum in pelago feratur clauo inharēs gubernaculo sedendo dirigat nauem, oculi uero eius & mens in altum ad æthera tendunt, sic uia nauiganti per maria, per cælum dirigat. Non alio modo creator ne materia repellat, aut defluat, harmonice ipsam ligauit, & tanquā nauis in ipsa insidet, & harmonice dirigat per idæas, quasi per clauum gubernans, respicitq; non in cælum, sed in deum superiorem, quem speculando discernendi uim accipit, quem desiderando motionem recipit. Hæc illis similia sunt. Nihil potest filius a seipso facere, nisi uideat patrem facientem. Ita Platonici omnes, & ante Platonicos ipse Plato ab Hebræis ea nomina uidentur habuisse, quibus excelluerunt. Nam & si non recte intellexerunt, uerbis tamen suis manifesti sunt cuncta ab Hebræis accipisse. Vnde Amelius quoq; illustris inter iuniores Platonicos, quāuis Ioannis Euangelistæ nomen cælauerit, barbarum ipsum, quoniam Iudeus fuit appellando, uerbis tamen eisdem fere utitur dicēs. Hoc profecto erat uerbum, quo ea quæ sunt, facta sunt, ut Heraclitus etiā diceret. Quid, etiā ipse barbarus putat in ordine principij, atq; dignitate constitutum apud deum esse, & deum esse, per quod uniuersa simpliciter esse producta, in quo quæ uiuunt, uitam habent, & in corporea ipsum cadere, & carnem indutum hominē ita uideri, ut naturæ dignitas non lateat, quare rursus resolutum in deum redire, & deum

& deum talem esse qualis fuit antequam in corpus carne & hominem deducere. Hac enim non occulte, sed aperte ac nudo capite, ut dicitur, a Barbari Iudaei Theologia transposita sunt. Barbarum enim neminem alium certe hic, quam Saluatoris nostri euangelista Ioannem appellauit, qui euangelium sic incipit. In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus, erat uerbum. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso, uita erat, & uita erat lux hominum. Et lux in tenebris lucet. Et uerbum caro factum est, & habitauit in nobis, & uisimus gloriam eius. Sed alium etiam ab hebraeis theologum audias. Quid est inquit imago inuisibilis dei, totius creaturae primogenitus, in quo creata sunt omnia, quae in caelis, & quae in terra sunt, siue uisibilia, siue inuisibilia. Sed quae de filio dei dicta a Platoniceis sunt, ad hoc usque procedat. Cum autem scriptura Hebraeorum cum patre ac filio spiritum numeret, ac beatissimam sanctissimamque trinitatem unum deum esse significet, quod expressius ecclesia & sentit & praedicat, opere praecipuum est audire, in quo enigmate Plato ad Dionysium scribens usus est. Dicendum inquit tibi enigmatice censeo, ut si epistola excidat, qui legant non intelligant, sic enim res se habet, omnia circa regem uniuersi sunt, illius gratia cuncta sunt, ille causa bonorum omnium est, secundum circa secundam, & tertio in tertijs. Homini igitur anima discere gliscit, quatenam ista sunt, tradit enim ad comparia eius. Haec, quae Platonem exponunt, ad primum deum, & ad secundam causam, atque tertiam, quam mundi animam esse dicunt, pertinere arbitrantur, tertium enim deum mundi animam esse dicunt, diuina uero scriptura patrem & filium & spiritum sanctum unum reorum omnium principium esse confirmat.

De Bono. CAPVT. XI.

Nunc de bono quid scriptura, quod platonice dicant perscrutemur. Scriptura igitur ipsum bonum nihil aliud esse docet, quam ipsum deum. Bonus enim inquit dominus omnibus sustentibus eum. Et confitemini domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius. Et Saluator. Cur me inquit dicitis bonum? Nemo bonus nisi unus deus. Plato autem in Timaeo. Dicamus inquit, qua de causa uniuersum hoc a creatore productum est. Et confestim subiungit. Bonus erat, bono uero nulla unquam

unquam inest inuidia, quare omnia quae maxime similia sibi facere uoluit. Et in libris de re publica. Sol quoque inquit uisus quidem non est, causa vero ipse sic est, ut ab eo ipso uideatur. Sic puta me dicere boni emanationem; genuit enim simile sibi, quodque ipsum in intellectu alibus est ad intellectum & intellecta, hoc inuisibilibus ad uisum & uisa. Et post pauca. Quod igitur ueritatem rebus cognitis praebet, & cognoscenti cognoscendi uirtutem, idam esse boni credendum est. Et rursus. Non enim rebus, quae oculis cernuntur, uim qua uideantur, solummodo a Sole praebere concedes, uerum etiam generationem, cumentum, alimentum: cum Sol ipse generatio non sit. Sic igitur etiam rebus cognitis, non solum ut cognoscantur sibi a bono inest, uerum etiam esse & substantiam ab illo habent, cum tamen ipsum bonum substantia non sit, sed omnem substantiam uirtute sua excedat. His uerbis Plato sententiam suam manifestissime aperit, quae intellectuales etiam substantiae a bono, id est a deo habent, ut sint, & substantiae sint. Bonum autem ipsum ultra omnem substantiam censet. Quare non sunt deo consubstantiales intelligentiae, & cum esse atque substantiam a deo acciperint, creatae profecto sunt. Quae autem creatae sunt, ne phas erit deos putare, cum etiam natura ipsum bonum non sit, quod uni soli uere, atque per se bono attribuit. Sed Numenium rursus Platonis sensum de bono latius exponentem audiamus. Corporalia inquit a signis & similibus quibusdam comprehendere possumus: ipsum uero bonum a nullo insito signo, nec a similitudine sensibili comprehendere ullo modo potest. Quare necesse est, quemadmodum si quis in specula sedens, paruam nauiculam solum in magno pelago inter undas acutis uisus uno intuitu perspexerit, sic longe a sensibilibus iumentis, quasi specula sedentem solum, ita ut nihil penitus magnum, aut paruam perturbet. Sed diuina quaedam omnium desolatio sit, ipsum bonum profunda tranquillitate ac pace quarere. Inuehitur enim & inhaeret substantiae quasi nauiculae. Si quis autem sensibilibus detentus ipse boni quasi phantasmatis mouetur, ac ideo putet bonum ipsum prospexisse, uehementer peccat. Nullum enim phantasma ipse est. Via igitur atque ratio intelligendi boni optima est, ut primum sensibilia omnia negligantur. Deinde, ut in disciplinis numeri ipsi inspiciantur, ac inde
intelli/

intelligendum ipsum ens eleuari. Hæc in primo libro de Bono. In quinto uero. Si est inquit substantia & idæa intellectuale quid cuius causam intellectum esse cōcessum est, sequitur ut intellectus iste solus sit ipsum bonum. Nam si creator deus generatiōis est, satis est ut ipsum bonum substantiæ principium sit, cui quidem bono creator deus proportionalis est, cum sit imitator eius, substantiæ autem generatio proportionalis, imago enim est eius, & imitatio. Quod si creator generationis bonus est, erit substantiæ creator bonum ipsum substantiæ constitutum. Cum enim duplex secundus sit ipse, & mundum & idæam eius facit cum sit creator. Quattuor ergo sunt, primus deus, qui est ipsum bonum, imitator eius, qui omnium creator est, qui est bonus. Essentia uero altera quidem primi, altera uero secundi, cuius imitatione est pulcher mundus boni participatione ornatus. Sic Plato bonum primo deo solummodo tribuit. Nam si bonus secundus deus est, a primo tamen bonus est. Separata uero, & in diuersis hæc libris posuit. Seorsum enim circulare creatorem appellauit, dixitq; in Timæo, bonuserat. In libris autem de re publica ipsum bonum boni esse idæam censet, ut sit creatoris idæa ipsum bonum, qui participatione solius primi bonus esse probatur. Sicut enim homines dicuntur hominis idæa, ut ita dicam, impressa, & boues bouis. Sic cum creator sit bonus in participatiōe primi boni. Primus intellectus idæa eius erit, qui est ipsum bonum: quæ cum ita se habeant, hunc mundum necesse est imaginem non esse alicuius. Intelligentiæ enim omnes illud in se ipso continet, sicut hic mundus nos. Hæc Plato in Timæo, quorum sensum ab eo libro Didymi sumam, quem inscripsit de placentibus Platoni. Determinata inquit sensibilibium exemplaria, idæas appellat, ex quibus scientiam & diffinitiones fieri censet. Præter enim omnes homines hominem quendam intelligi, & præter equos omnes equum, ac communiter præter animalia animal, nec generabile, nec corruptibile, ut quemadmodum ab uno sigillo multa signantur, & multæ uiriles fiunt inde imagines. Sic a singulis sensibilibium idæis multa formantur. Est autem idæa perpetua substantia, causa, & principium, ut singularia talia sint, qualis ipsa est, & quemadmodum primitiua sensibilibium exemplaria ad hæc corpora præcedunt, sic quæ omnia in se

in se ipsa continet, pulcherrima atq; perfectissima huius mundi exemplar est, ad quam a creatore deo ab uniuersa substantia mundus simillime formatus est. Hæc Didymus ex sententia Platonis, q̄ omnia multo altius sapientissimus ille Moses, a quo hæc isti detorsērūt breuissime cōscripsit, qui ante hunc Solem, & stellas, & cælum uisibile, q̄d firmamentū appellat, ante aridā hanc terrā, ante diē & noctē, hæc lucē aliā, & diē & noctē aliā a deo ꝛo creatoreq; omniū facta fuisse ostēdit. Propheta q̄q; inuisibilē Solē ostendēs, oratiōe deo accōmodata. Timētib; inquit me Sol iustitiæ orietur. Ipsam q̄q; iustitiam non dico qualitatem aliquā, sed qualitatis creatricem Hebræorū ille propheta significauit, cum de deo dicat. Quis suscitauit ab oriente iustitiam, uocauit eam in facie eius. Verbū quoq; in prioribus creatorem ab Hebræis appellatū ostendimus. De quo quidem uerbo hæc apud eos feruntur. Qui natus est nobis sapientia a deo, iustitia, & sanctimonia, & redemptio/dicit enim, & uita, & sapientia, & ueritas, & omnia substantialiter. Subsistit enim & sapiētia hæc, & uerbum hoc, ut ab Hebræorum scriptura docemur, quamuis Phylō iudæus scripturæ interpret ac expositor aliter sentire uideatur, quē non est alienum audire.

De Iudæis secundum Mosē ex Phylōne. CAP. XII.

Siquis uoluerit inq; significatoribus uti uerbis, nihil aliud intellectualem dicet esse mundum, q̄ dei iam creantis uerbum. Nihil enim aliud ciuitas illa intellectualis est, q̄ creatoris ratione creare iam cogitantis, quod dogma Mosi non meū est. Aperte namq; scribit ad imaginē dei hominē esse formatū. Quod si pars imago imaginis est. & uniuersus iste mūdus sensibilis ad exemplar diuinæ imaginis factus est; primitiuum ergo sigillum, quod intellectualem mundum appellamus, ipsum exemplar est. Primitiua sc̄da idæarum omnium dei uerbum. In principio autē dicit fecisse deum cælum & terrā, nō secundum tēpus principium intelligens, ut multi putant. Non fuit enim tempus ante mundum, sed aut cum ipso, aut post ipsum. Mensura enim motus tēpus est, motus autē remota prior esse non potest, sed aut posterior, aut simul. Quare necesse est tempus aut post mūdum, aut una cum eo factum fuisse. Relinquit ergo principium hic numerū esse intelligēdum, ut in principio pro
primū

primum accipiat. Et post pauca. Primum igitur cælum fecit incor-
 porale, & terrā inuisibilem aeris idæam & uacui. Quorum alter tes-
 nebras, niger enim aer ex natura est, alterꝝ abyssum appellauit. Va-
 cuum enim profundissimum & effusissimum est. Deinde aquæ at-
 que spiritus incorporalem substātiā, & deniqꝫ septimæ lucis, quæ
 etiam incorporalis & intellectualis Solis exemplar, & omnium stel-
 larum fuit. Duo autem, spiritus scilicet, & lux digniora uident. Al-
 terum enim dei nominauit, q̄a spiritus uiuacissimus est, uitæ autem
 deus causa est, alteram autem ualde bonam esse affirmauit. Tanto
 enim intellectualis lux uisibili hac fulgētior est, ut mihi uideat, quan-
 to Sol tenebris, dies nocte, & intellectus totius animæ dux oculis
 corporeis. Inuisibilis autem & intellectualis illa lux diuini uerbi est
 imago, quod generationem eius lucis explicuit, quæ est supercæ-
 lestis stella, fons sensibilibum stellarum, aqua Sol, luna, cæteræqꝫ stel-
 læ pro uirtute sua fulgorem hauriunt, qui fulgor simplex atque sin-
 cerus tantum denigrat. posteaqꝫ immutabilia transierit, quātum ab
 intellectualibus sensibilia distāt. Nihil enim sincerum est eorꝫ quæ
 sentiuntur, quoniam uero luce facta, tenebræ abierunt, & termini
 utriusqꝫ spacij fixi sunt certis uespere & mane. Spacium temporis,
 quod hinc effectum fuit, diem nuncupauit, & diem non primā, sed
 unam, quæ dicta est propter intellectualis mundi solitudinem, qui
 unicam habet naturam. Et sic quidem incorporalis mundus absolu-
 tus est, diuino uerbo cōstitutus, ad cuius exemplar sensibilis creaba-
 tur, cuius primam partem atqꝫ optimā cælum effecit, & firmamen-
 tum appellauit, quia corporeum est. Natura enim firmum atqꝫ soli-
 dum corpus est propter trinam dimensionē. Nulla em̄ alia corporis
 solidi atqꝫ firmi notio est, quam trina dimensio, Iure igitur ita nomi-
 nauit, ut ab intellectuali atqꝫ incorporeo, sensibile, hoc est corporeū
 distingueret. Hæc Phylo, quibus consentanea, Clæmens quoqꝫ no-
 ster in sexto dicit. Mundum inquit philosophia barbara alium intel-
 ligibilem, alium sensibilem censet, alterum primitiuum, alterum bo-
 ni exemplaris imaginem, & intelligibilem quidē unitati attribuit.
 Sensibilem uero sexadi, connubium enim a Pythagoreis sexas dicitur,
 quia fœcundus numerus est. In unitate igitur cælum inuisibile
 factum est, & terra sancta, lux intellectualis. In principio enim fecit
 deus

deus caelum & terram, & terra erat inuisibilis. Et subiungit. Et dixit deus: Fiat lux, & facta est lux. In sensibilis autem mundi creatiōe, solidum creauit caelum. quod uero solidum est, sensibile etiam est, terram inuisibilem & lucē, quae cernitur. Haec latius diximus, ut ostendamus idaeas animalium in intelligibili mundo positas, a quibus sensibilia ista secundum Platonem creantur, ab Hebraeorum scriptura esse deriuata. Vnde etiam didicit Plato, incorporeas uirtutes & bonas, & contrarias esse.

Ab Hebraeis didicit Plato contrarias esse uirtutes.

CAPVT XIII.

Scribit enim in Decimo de legibus. Si omnia, quae quo uolunt mouentur anima gubernat, quare caelum etiam ab anima gubernari non dicimus? Certe inquam dicendum est. Vnum ne igitur, aut plures? pauciores inquam duabus, benefactrice scilicet atque contraria ponenda non sunt. Et post pauca. Cōcessum iam nobis est multarum bonarum uirtutum caelum esse repletum, contrarijs etiam non uacare. Vnde nobis bellum absque fine indictum est, in quo agendo patrocinio nobis opus est. Auxiliatores autem nobis dii & daemones sunt, nos uero possessio quaedam sumus deorum ac daemonum. Vnde ista Plato adinuenisti? ego quidem nescio aliud praeterquam, quod mille annis ante tuam aetatem uulgo apud Hebraeos hoc dogma ferebatur. Scribitur enim. Et uenerunt angeli dei, ut coram deo assisterent, & diabolus uenit in medio ipsorum. Diabolum quidem contrariam uirtutem, angelos autem bonos appellauit, quas & uirtutes bonas, & spiritus diuinos, & ministros dei scriptura nominat. Qui facit dicens angelos suos spiritus, & ministros eius ignis flammam. Bellum etiam a contrarijs nobis inferri scriptura significat dicens. Non esse nobis hanc luctationem aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, potestates, & principes huius mundi, aduersus spiritualia nequam in caelestibus. Cum autem possessionem nos deorum & daemonum censeat, illud mosaicum traduxisse uidetur, quo dicitur. Quando altissimus gentes partiebat, disseminauit filios Adam, & constituit terminos gentium secundum numerum angelorum dei.

Quod animi quoque immortalitatem ab Hebraeis Plato didicerit.

CAPVT XIII.

At de

AT de anime immortalitate Mosem est secutus, qui primus immortalitate esse docuit, cum eam imaginem esse dei, imo uero ad imaginem dei esse asseruerit. Et fecit inquit deus hominem, ad imaginem dei fecit eum, Et distinguens in corpus & animam hominem, subiungit. Et sufflauit in faciem eius spiraculum uitae, & factus est homo in animam uiuentem. Principem uero esse hominem atque regem omnium, qui in terris sunt ostendit dicens, Et dixit deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & praesit piscibus maris & uolatilibus caeli, & bestiis, uniuersaque terrae. Et creauit deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem dei creauit eum. Quomodo autem aliter imago dei, & deo similis erit, quam secundum intelligenti uim? Sed Platonem quoque audiamus, ut quam bonus mosaicae scripturae discipulus fuerit, non ignoremus. Scribit enim in Alcibiade. Habemus ne aliud melius atque diuinius in anima quam illud est, quod sapit atque intelligit, nihil prorsus hoc, ergo illud est, quod deo simile est. Quod si unusquisque in seipso cognouerit, deum quoque non ignorabit. In libro uero de anima. Duo inquit genera rerum ponenda sunt, uisibile atque inuisibile, quorum alterum scilicet inuisibile eodem se semper modo habet, alterum uero nunquam se habet eodem modo. Nostri quoque alterum corpus est, alterum anima. Et corpus quidem uisibile, anima uero inuisibilis est, & quando corpore utitur ad considerandum aliquid (utitur autem aut uidendo, aut audiendo, aut omnino sentiendo) tunc a corpore ad haec trahitur, quae nunquam eodem modo se habent. Quare fit ut erret, turbetur, ac quasi temulenta deficiat. Quando autem per se ipsam aliquid considerat, tunc ad immortale, sincerum, sempiternum eodemque modo semper se habens, se ipsam erigit, & quasi quaedam emanatio eius ad illud redit. Quando ad seipsam redit, & tunc ab errore cessat, & eodem modo semper se habet, quia sempiternum attingit, quae passio animae prudentia nuncupatur. Valde inquam recte & uere dicitur Socrates. Tunc Socrates. Vtri ergo tibi uidetur cognatius atque similius esse anima? Ei ne quod eodem modo se habet, an rei mutabilis? Primo inquam omnino. Cum autem ad feruendum corpus, ad principandum animam natura finxerit, nonne

hac etiam ratione cum principari diuinum sit, seruire autē caducum
 atq; mortale, manifestum est deo animā similem esse. Omnino ita
 est Cebes inquit. Si ergo ita est o amice Socrates intulit, nonne ut
 corpori conuenit mori atq; dissolui, sic animæ cōueniet nunquam
 mori atq; dissolui. Quod cum Cebes concessisset. Si ergo inqt So/
 crates munda nihil a corpore secum contrahens decesserit, q̄a uide/
 licet seipsam quantum poterat in corpore colligebat, semperq; cor/
 pore contempto, de morte meditabatur. quod nihil aliud est quam
 recte philosophari. Meditatio enim mortis philosophia est, ad simi/
 lem naturam inuisibilem, diuinam, immortalem, prudentemq; pro/
 secto uera beatitudine fruitur, ab omni errore, stultitia, terrore, alijs
 q; hominum malis liberata. Sin ꝑ o immunda maculisq; plena exi/
 erit, q̄a corpus dilexit & coluit, ab eo & uoluptatibus eius adeo ab/
 lecta, ut nihil aliud bonum putaret, quam quod corporeum est, q̄d
 uero intelligibile est oserit atq; fugerit, sincera in seipsa nō est. Hæc
 Plato. Quæ in primo ad Boethū latius exponit Porphyrius dicens.
 Firmam certamq; rationem eam Plato putauit, quæ a similitudine
 aliquorum uim accipit. Nā si deo immortalis similis anima est, quo/
 modo etiam ipsa sicut exemplar suum immortalis nō erit. Cum em̄
 duo quædam aperte opponant, querit cui oppositorū adhaereat ani/
 ma, qui optimus demonstrationis modus in his rebus inuenitur. Et
 quamuis a prima ætate usq; ad senectutē multa contra rationem fa/
 ciamus peccantes, tamē quia uerè rationali deo in multis similis ani/
 ma est, rationalis esse ab omnibus creditur. Cum igitur duo aperte
 opponi cōcedantur, immortalis uidelicet atq; diuina natura, & ter/
 restris atq; corruptibilis; dubitatur autē a nōnullis, cuius partis ani/
 ma sit. A similitudine putauit Plato, ueritatem esse querendam. Et
 quoniā non sensibili & mortali corpori, sed uiuo & immortalis deo
 secundum operationes similis est, hinc similitudinem etiam in sub/
 stantia quandam habere, ac inde immortalem esse ratiocinatur. Nā
 ut quæ irrationalia sunt statim a diuina substantia, cum sint cadu/
 ca & instabilia, longe abesse uidentur, sic certe consequens est, quæ
 operatione intelligendi cōueniunt, ea immortalitate quoq; substan/
 tiæ conuenire. Quoniam enim substantia conueniunt, idcirco etiā
 operatione conueniunt. Fluunt enim a substantia operationes, ac
 q̄dam

quædam eius sunt emanationes. Nam si simillima deo anima est, quod opus est pluribus uerbis ad demonstrandam immortalitatem eius: Non enim diuinis operationibus uteretur, nisi etiã ipsa diuina esset. Nam & si cum in caduco mortaliq; corpore defossa sit, continet tamen & uiuificat illud diuinam suam ostendens substantiã, nec pondus corporis eam omnino deicere potest, quomodo si e corpore liberabit, aura sua species non perfulget: Aut quomodo ipsa immortalis non erit, cuius presentia corpus non moritur. Et progressus aliquantulum, Diuina est anima inquit, quoniã indiuisibili similis est, mortalis autẽ uidetur, quia mortali corpori cõiungitur, ita & mortalibus similis est. Homo enim etiam est, qui uentri sicut pecora deditus est, homo autẽ & in mari a periculis naues gubernando liberat, morbis affert remedia, ueritatem rebus perscrutat diligenter atq; inuenit. Instrumenta uaria fabricatus est, quibus cælestium corporum motus comprehendere potuit, quæ diuinæ atq; immortalis certissima mentis argumenta sunt, quibus multi uoluptatis delinuti illecebris mortalem eam putauerunt, ex his quæ uidentur extrinsecus ratiocinantes. Hæc Porphyrius. Horum igitur omnium doctor Moses fuit, qui a similitudine creatoris, quam anima possidet, immortalitatem animæ confirmauit. Sed reliqua uideamus. In omnibus enim Hebræorum similis Plato est, quibus in multis, ut diximus, errare ideo forsã uidetur, quoniam diuina scriptura nemini præter prophetas ante Saluatoris tempora patuit.

Quod productum esse mundum ab Hebræis Plato accepit.

CAPVT XV.

Mose igitur uniuersa a deo creata prædicante. In principio inquit creauit Deus cælum & terram. Vide quemadmodum nõ excidit ab hac sententia Plato. Omne inquit quod factum est, necessario a causa factum est, fieri enim nihil potest absque causa, uniuersum igitur, aut cælum, aut mundus, aut quauis alia notetur appellatione considerandum, utrum erat, semper nullum generationis suæ habens principium, an factum est, & ab aliquo incepit principio. Visibilis igitur & tangibilis est cum corpus sit, cuncta uero hæc sensibilia sunt. Quæ uero sensibilia sunt, opinionioni subiaccere, & facta esse demonstrauimus. Quod porro factum

C iij est,

est, a causa factum esse necesse est. Causam igitur & creatorem uniuersi qui sit inuenire difficile est, & cum inueneris, in uulgus ædere impossibile. Et post pauca. Sic igitur rationem sequentes, nephās est dicere animatum hunc mundum ac uere mentalem a dei prouidentia non esse factum.

De Luminaribus. CAPVT. XVI.

Rursus cum Moses Solem & Lunam & cæteras stellas a deo productas ostendit. Et dixit deus inquit, Fiant luminaria in firmamento cæli, & sint in signa & in tēpora. Et fecit deus duo luminaria magna, & posuit ea in firmamento cæli, & Stellas. Similiter Plato quoq; dicit, a uerbo & mente diuina Solem & Lunam, & alias quinque stellas cognominatas erraticas ad generationem temporis facta esse. Quorum corpora deus fecit & posuit in circulis. Diligenter igitur considera quod dicit a uerbo & mente diuina. Illis enim uerbis quoq; ipsis consentaneum est, qd Psalmista dicit. Verbo domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorū. Deinde cum Moses in firmamento positas stellas dixerit, eadem uoce Plato usus in circulis posuit inquit. Ad hæc per singula scripta dicit, Et uidit deus qd bonum. Et summam repetens. Et uidit deus omnia, & ecce bona ualde. Plato autem, sibi unus est inquit iste mūdus, & creator bonus. Et rursus. Hic optimus effectuum, ille optima causarum.

De mutatione mundi. CAP. XVII.

Praterea de consumatione & mutatione mundi aperte & magna uoce scriptura prædicante. Quia complicabitur cælum sicut liber. Et rursus. Erit cælum nouum, & terra noua. Audi quomodo Plato etiam hoc dogma comprobauit in Timeo dicens. Constituit cælum uisibile atq; tangibile, & propter hæc, & ex istis, & talibus, & ex quattuor numero mundi corpus factum est, proportionem conueniens, a cæteris omnibus indissolubile, præter q̄ ab eo, qui colligauit. Et post pauca. Tempus igitur cum cælo factum est, ut simul facta, simul etiam dissoluantur, si quando solutio quedam ipsorum fiet. Et post pauca subiicit. Quod ligatum est, solubile est: quis si bene aptatum beneq; ligatum soluere uult, bonus nō sit. Quare inquit deo attribuens uerba. Dij quorum ego
creator

creator ac pater sum, quoniam facti estis, immortales quidem non eritis, nec dissolubiles omnino. Non ergo dissoluemini, nec in mortem deducemini, maiore uinculo colligati. Et in libro de republica hoc inquit. Vniuersum aliquando quidem ipse deus conuoluit, aliquando autem dimittit, cum circulationes convenientis mensuræ tempus habuerit. Nonnunquam autem casu in contraria circūducitur, cum animal sit, & prouidentiam ab eo qui fecit, in principio sumpsit. Cælum enim corporeum est, quare absq̄ imitatione peritū esse impossibile est. Circulariter autem motum, minimam sui motus habet imitationem, nihil autē potest se ipsum semper uolūtere præter corpus, quod omnium quæ mouentur habet principatum, quod nullo modo potest, modo sic, modo aliter moueri. Ex quibus omnibus non oportet hunc mundum a se ipso uolui semper cedere, nec a deo binas & contrarias uoluntiones accepisse, nec quidem a duobus dijs inter se discedētibz, sed sicut modo dictum est, aliquando, quod a diuina causa ducitur uitam rursus cōsecutus, immortalitatemq̄ a creatore super iniunctam, aliquando autem cum dimissus fuerit, per se ipsum uolui tempore quo dimittitur: quoniam cum maximus sit, ac æqualissimi ponderis, minimo nixu mouetur, multa annorum milia uoluit. Omnium igitur, quæ mirabiliter accidunt, hæc uniuersi circulatio causa est, quæ aliquando sicuti nunc uoluitur, aliquando in contraria. Maximas igitur tunc mutationes fieri putandum, ac multas corruptiones animalium, interitus hominum, & alia noua atq̄ inaudita.

Quod resurrecturos mortuos etiā concedit, nō aliunde
q̄ ab Hebræis Plato discere potuit. CAP. XVIII.

Rogressus deinde aliquantulum, mortuos reuicturos dicit, quod nescio unde iam aliunde quā a Iudaica scriptura intellexerit. Ferebatur inquit a priscis illis eos, qui in ultima circulatione moritūne uicinos, futuro tempore in prima rursus resurgere, ac ab eiusmodi hominibus multa nobis nuntiata esse, q̄ nunc uulgo non recte falsa putantur. Consequens enim est hos senes ad puerorū rursus naturam conuerti, & mortuos qui iacent in terra, rursus tunc esse reuicturos generationem sequentes, quæ in contraria reuoluit, nisi quos deus in aliam conditionem tra-

duxerit

dixerit. Et progressus dicit. Tempore omnium exacto, quoniam
 mutationem fieri oportet, cum terrenum genus defecerit, omni ani
 ma per generationem in corpus iustum deducta, tunc uniuersi gu
 bernator, habens gubernationis dimissis, ad altitudinem suam abibit
 mundum autem rursus parca, & innata cupiditas euertet, quod cum
 fieri uiderint dii, minores partes mundi suae gubernationi commis
 sas relinquunt. Mundus autem reuolutus, atque in contrarium latus,
 & magno terrae motu concussus, inauditam omnibus animantibus
 pestem incutiet, & tempore aliquo exacto, omni turbatione sedata,
 solitum cursum recipiet. Deus enim ne omnino dissoluatur, guber
 nacula rursus capiet, & omni expulsa turbatione, immortalē ipsum
 & insenscentem efficiet. Et post pauca. Dicam inquit tibi sermo
 nem fortissimi uiri Irlis nomine, genere armenij, qui olim in proelio
 mortuus, post decimum diem fere iam corpore corrupto delatus a
 suis domum, cum in rogamum poneret, decimo die postquam decidit, re
 uixit: multa quoque sibi se uidisse narrauit, ac inter alia, quod anima egres
 sa e corpore, cum multis in locum quarendam deuam deuenisset,
 ubi terrae hiatus inter se connexi maximi erant, & ex opposito duo
 ad caelum itinera, iudices autem sedentes uidisse, a quibus, qui iusti
 fuisse iudicabant, in anteriore parte signis alligatis ad dexteram, &
 sursum in caelum ire uidebantur. Iniusti uero ad sinistram, & deor
 sum signis ad posteriorem partem eorum alligatis, in quibus scripta
 erant eorum facinora. Quae cum uidisset accessisse atque rogasse di
 cebat, ut liceret ei hominibus haec nunciare. quod cum illis placuis
 set, per omnia illa loca diligentius ductum fuisse. Haec Plato. Plutar
 chus autem in primo de anima haec narrat. Enarchus inquit nuper
 aegrotans, tanquam iam mortuus a medicis fuit relictus, & breui tem
 pore in se ipsum postea reductus dicebat se mortuum fuisse, & in
 corpus iterum restitutum, nec me aegrotatione moriturum, reprae
 hensosque aiebat uehementer a domino suo eos spiritus, qui animam
 eius duxerunt, ad Nicandam enim missos, non ad illum fuisse. Ni
 eandas autem Coriarius erat, & in palaestris non ignobilis, qui eo
 tempore, quo Enarchus reuixit, in maximas incidit febres, ac re
 pente mortuus est. Hic autem uiuit, superstesque est felicissime nos
 triscum manens. Haec ideo posui, quia scriptura etiam Hebraeo
 rum

rum nonnullos reuixisse uerissime narrat.

De Cælesti terra secundum Platonem. CAP. XIX.

Verum quoniam in repromissionibus scripturæ, solis pijs terram quandam reseruari fertur, secundum illud, Mites autem hæreditabunt terram. Hæc ꝑo cælestis est, quam Prophæta ex ꝑciosis lapidibus allegorice constare significat dicens. Ecce præparo ego tibi carbonem lapideum, & ponam pinacula tibi ex Iaspide, & fundamenta ex Zephyro, & circūitum tuum ex lapidibus electis. Cōsydera quomodo ipse quoq; Plato similia in libro de anima, ex persona Socratis scribit. Glauci artificium inquit non posset exponere quæcunq; ibi sunt, ego autem etiam si possem o Simia, uita tamen mihi non sufficit, nihil tamen perhibet formam illius terre, ut mihi, quod uidetur breuiter explicare. Satis hoc est Simias inquit. Credo igitur Socrates addidit, quoniã est in medio cœlo rotundo, nihil sibi opus esse ne cadat, nec aere, nec ulla re alia. Deinde maximam rem quandam esse, nec huic simile, in qua tanquam in sterquilinio formicas, aut in palude ranas homines uideo habitare. Et post pauca. Ipsam uero terrã mundam in cœlo mundo, ubi stellæ sunt positã esse credo. Et progressus. Si natura inquit humana illa posset superiora perspicere, cognosceret ibi esse uerum cœlum, ueram lucem, & ueram terram: hæc enim terra, & isti lapides, & omnia quæ hic sunt corrupta/ exesaq; sunt, quemadmodum ea quæ prope mare sunt, a salsedine maris. Et post pauca. Dignam rem auditu dicerem inquit, si fabulam audire uelletis. Non autẽ inquit Simias libenter audiemus. Dicitur ergo. Socrates inquit talem illam terram esse, si quis totam ab alto prospiceret, qualis esset duodecim coloribus exornata sphaera, quorum isti colores, quibus scriptores abutuntur, quasi faeces sunt. Ibi autem uniuersam illam terram a fulgentioribus & melioribus esse depictam, atque aliam partem eius cæruleam, aliam auream, aliam albam multo albiorem niue, & ex alijs coloribus alias mirabili pulchritudine coloratas, & ultra quam oculus hominis perspexerit. In tãta igitur talicq; terra proportionabiles arbores nascuntur, flores & fructus proportionabiliter gerentes, montes quoq; collesq; sunt, & lapides in simili proportionem, quorum quasi particulae isti lapides sunt, Sardijs dico iaspis

D Smaragdus

smaragdus, & similes, quibus multo meliores illi sunt. Nihil enim boni est, quod ibi non sit.

Quod etiam de iudicio futuro Hebraeos Plato sequitur

CAPVT XX.

Cum etiam scriptura iudicium postquam hinc abierimus, animarum futurum dicitur, & per alia multa, & per hoc non minus. Iudicium inquit sedit, fluvius ignis coram eo fluebat, mille milia ministrabant ei, & decies centena milia assistebant ei. Audi etiam Platonem de iudicio dicentem, & fluvium Noe utentem, multasque prorsum mansiones, & diuersa impiorum supplicia, non aliter fere quam Hebraeorum scripturam narrare. Scribit enim in libro de anima sic. Tertius annis in medio istorum exit, & iuxta hostium in latissimum incidit locum igni ardentem, ubi facit paludem maris multo maiorem, aqua & limo ebullientem, ac inde turbidus atque limosus terram circumplexus, prope paludem Acherusiam defluit, nec ipsi permixtus, sed crebris sub terram uorticibus circumuolutus, infra tartarum exit. Hic est annis, quem Pyriphlegethonta nominant, & opposito huius Stygaeus est quartus annis, a quo paludem Stygem nomine fieri creditur. In hunc fluvium qui incidit, grauius in aqua tortus fertur circumuolutus, Pyriphlegethonti oppositus. tandemque prope Acherusiam paludem ex opposito uenit, nec etiam huius aqua cuiusquam miscetur, sed circumlata in tartarum tandem exit in oppositum Pyriphlegethonti, hunc poetae cocytum appellant. Haec cum ita se habeant, cum defuncti ad eum locum deuenierint, quo deportantur, primum diiudicantur, quinam iuste, & quinam contra uixerint: & si qui uidebuntur, medio quodam modo uixisse in uehicula scandunt sua, & per Acheronta in paludem deferuntur, ubi graui supplicio depurgantur, & postea liberati honores consequuntur secundum benefactorum suorum dignitatem. Qui autem uidebuntur propter magnitudinem peccatorum curari non posse, in tartarum omnes deiecti, nunquam inde possunt exire. Qui pro curabiles sunt, quibus maxime peccarint, ut puta si contra patrem & matrem ex ira aliquid fecerint, & postea poenitentiam habuerint, uel homicidio, uel alio quodam facinore contaminati, hos in tartarum deuenire necesse est, & annuo totius temporis spacio eiciuntur ab unda.

Homi/

Homicidæ quidem in Cocytum, patris autē & matris uiolatores in Pyriphlegethonta. Cumq; ad Acherusiadem fuerint paludem clamantes uocant, alij quos uituperarunt, alij quos occiderunt. Cumq; uocarint, rogāt & supplicant, ut in paludem suscipiant. Et si exorauerint, exeunt, & liberant a malis. Sin ꝑo nō exorauerint, rursus in tartarū feruntur, ac inde iterū in fluuios, nec prius cessant q̄ exorauerint quos leserunt. Hęc enim ultio à iudicibus imponit. Qui autem sanctitate uiuēdi excelluisse uidebunt, ij sunt qui ab ista terra quasi a uinculis liberant. Horum, qui se philosophia purgarunt, sine labore in sempiternum uiuunt, & habitationes pulcherrimas cōsequuntur, quas nec uerbis exprimere possibile, nec si possem tēpus sufficeret. Horū igitur gratia o Summa cunctis uiribus uirtutis curā oportet in hac uita gerere, optimū enim propositum est, & spes maxima. Hęc Plato. Quod autē dixit nō esse possibile uerbis pulchritudinē illarū habitationū exprimere, nonne simile illi nostro est? Non uidit oculus, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, q̄ preparauit deus amantibus eum. Habitationes autē multas dicit, & nos multas esse apud patrē mansiones didicimus: Pyriphlegethonta ꝑo ignem æternū esse q̄s dubitabit? Hebræorū enim ꝑpheta similiter clamat. Quis annunciabit uobis, q̄a ignis ardet? quis nunciabit uobis locū æternum? Et rursus. Vermis eorū non morietur, & ignis non extinguetur. Plato quoq; in tartarum deiectos impios, nō exituros inde asseruit, & pios in beatis locis in sempiternū uicturos affirmat. Quod uero addit sine labore, nōne illi simile est, unde abest dolor, mœror, & gemitus? Quod autem dixit non simpliciter, sed cum in uehicula cōscenderint sua, in Acheronta amnem depelli, quanam alia uehicula denotare potest, q̄ corpora, q̄bus assumptis, una cum eis secundum Hebræorū scripturas uitæ retributio fit.

EVSEBII PAMPHILI LIBER
DVODECIMVS.



Erunt quoniā hoc uolumen satis iam creuit ad duodecimum librū transgressi, q̄ restant ad ostendendā Platoniam philosophiā ab Hebræis defluxisse conscribemus, ut multi uideāt non nobis solū, uerū etiā Platonī iam pridem scripturā Hebræorum.

D ij Quod